

culum mortis esse, quando proximè, certò, moratiter, & ferè invincibiliter mors inicit, periculum verò, quando sub dubio, vel timore probabili mors expectatur, ut in prælio, in morbo periculoso, in difficili partu, in longa navigatione, & similibus. Quamvis autem aliqui DD. putent, non esse idem dicendum in periculo mortis, quod dicitur in articulo, communior tamen opinio est, nullam esse differentiam quoad prædictam facultatem absolvendi si- vè in articulo, si vè in periculo mortis: illæ enim voces reciprocè in jure usurpantur. cap. Si quis suaden- te. 17. quest. 4. cap. Eos, qui. De Sent. excommu- ni. 6. Et ita scribunt Suarez d. disp. 26. scilicet. 4. n. 43. & alii plurimi relati à Salmanticensibus ubi supra num. 24. addentibus sub periculo mortis comprehen- di periculum futuræ amentia; nec non eos, qui sunt in captivitate; hi enim omnes à quocumque sacerdote possunt absolvi, ac si essent in articulo mortis.

28 Sed quid Juris si in eo articulo, vel periculo adfit Sacerdos approbatus? poteritne non approbatus ab- solvere? Sunt hinc inde opiniones probabiles ob rationem, ac multitudinem Doctõrum pro utraque militantiùm, quos cumulant Salmanticenses ubi ante num. 29. & 30. qui adhaerent negativæ, illam limita- tes, quando Parochus, vel Sacerdos approbatus, recuset audire Confessionem moribundi, vel exis- tensis in periculo mortis, aut supervenerit, incepta iam confessione coram non approbato, hic enim posset continuare in audienda illa, & absolvere; prout etiam si esset repetenda confessio coram eodem non approbato facta, ob nullitatem absolutionis ex aliquo defectu penitentis, puta mendacii, non doloris sufficientis, vel sine proposito emendandi. Porro, si in dicto articulo, vel periculo mortis penitens ir- ritus esset excommunicatione, & supervenerit Super- ior habens facultatem absolvendi ab illa, ab ipso esset prius recipienda absolutio à censura; deinde eo nolente audire confessionem peccatorum, posset penitens ea confiteri Sacerdoti non approbato. Sanchez d. lib. 2. cap. 13. num. 15. Salmanticenses ibid. n. 36. addentes n. 37. quod completa confessione coram non approbato, & recepta ab eo absolutione, si superveniat approbatus; & penitens iterum velit aliqua peccata oblitâ confiteri; id facere debet coram approbato, quia hæc est nova confessio à priori inde- pendens. Sanchez d. cap. 13. n. 15. Tandem, an in defectu Sacerdotum, possint Angeli in articulo mor- tis absolvere à peccatis? Videatur Diana part. 11. tract. 6. resol. 14. quæ transitum fecit in Coordinati operis tom. 1. tract. 4. resol. 16. De Sacri Viatici administratione exemplum habemus in S. Raymundo Nonnato, de quo ait Breviarium Romanum die 31. Augusti. Leti. 6. Cumque morbus ingravesceret, & Sacerdos diutius tardaret, Angelorum ministerio sub specie Religiosorum sui Ordinis apparentium salutari Viatico refoctus fuit.

30 Quo ad Ultimum: Si querimus, Quando appro- batio iam concessa pro auditendis confessionibus expi- ret; Tres casus sunt distinguendi. Primus est, quando concessa fuit ad tempus limitatum; videlicet ad sex menses, vel ad annum, ut hæc temporibus faci- unt Episcopi cum quibuscumque Confessariis, & est mos Urbis, & Orbis, ut ait Nicolaus in Lucubrat. Canonici d. lib. 5. tit. 38. n. 9. & in hoc casu extra om- nem controversiam est, quod expirato tempore, expi- rata etiam est ipsa approbatio; nam limitata causa limitatum producit effectum. Menoch. consil. 24. n. 19. & consil. 414. n. 1. Secundus casus est, quando data est approbatio indefinitè, & illimitatè, & in hoc casu durat etiam post mortem concedentis, & donec revocetur à Successore. Sanchez de Matrimon. lib. 8. disp. 28. n. 72. Garzias de Benefic. part. 6. c. 2. n. 321. Salmanticenses d. tract. 6. cap. 11. n. 80. ubi DD. pluri- mos congerunt ita scribentes, ob eam rationem, quia approbatio, quæ fit ab Episcopo, ut simplices

Sacerdotes possint audire confessiones, est gratia; gra- tia autem de jure non expirat morte concedentis. cap. Si super gratia. 9. De Offic. Deleg. in 6. & in cap. Sicut. 36. De Præbend. eod. lib. 6. Hinc praxi solent, quod mortuo Episcopo, Confessarii antea ab eo approbati continuant suum ministerium, donec Vicarius Capitularis revocet eorum facultates, quòd circa Confessarios Sæculares facere non est ei prohibitum. Marchettus in Praxi Vicar. Capitular. part. 2. tit. 17. n. 15. & Diana part. 8. tract. 4. resol. 48. reposita in Operis Coordinati tom. 3. tract. 5. resol. 33. §. 2. Et quod dicitur de morte Episcopi, procedit etiam de cessatione ejus ab Officio, ut si cedat dignitati, aut ea privetur; vel per incursum in censuras jurisdictionis exuatur. Aversa g. 16. scilicet. 4. Salmanticenses d. tract. 6. cap. 11. n. 82. Tertius casus est, quando Episcopus concessit licentiam Confessario audiendi confessiones his verbis: Ad beneplacitum nostrum. Vel, Donec voluerò; seu, Dum fuerit no- stra voluntas; aut, Ad arbitrium voluntatis nostræ; si vè, Dum nobis placuerit. Et in his casibus per mortem concedentis expirat facultas Confessarii; nam beneplacitum, & voluntas personæ pendet ab ipsa per- sona; quæ extincta per mortem, etiam beneplacitum, & voluntas extinguitur. Ita Suarez disp. 27. scilicet. 4. Reginaldus lib. 5. num. 95. & Salmanticenses alios DD. allegantes d. cap. 11. num. 85. ubi subdunt, aliud esse dicendum, si Episcopus dixisset in licentia se eam dare, donec revocaverò; vel donec aliter disposue- ro, quia per mortem supervenientem impeditur actus revocationis, & contrariæ dispositionis.

Corollarii loco notandus est iste Casus. Vocatur Confessarius habens licentiam suam limitatam ad tempus, ut audiat confessionem Parochi necessariò celebraturi. Dubitat Confessarius, an duret sua li- centia? Timet, tempus ejusdem expirasse. Poterit- ne audire, & absolvere? Afirmativè respondent Suarez disp. 26. scilicet. 6. Eminent. Card. de Lugo disp. 29. num. 28. Salmanticenses d. tract. 6. cap. 11. n. 75. Sed sub conditione, si mea licentia durat. Ratio est, quia nullus est abusus Clavium cum dicta conditione; nam si adest jurisdictio, fiet Sacramentum, & profic- ient penitenti; si verò non adit, nihil ponitur in esse, & tantummodo ipse penitens monitus deinde de veritate, si licentia expirasset, teneretur iterum confiteri. Id autem fieri non debet, nisi urgente ne- cessitate.

DECISIO XXXVIII. ARGUMENTUM.

De Approbatione Confessariorum Regularium, pro audiendis secularium personarum confessionibus, tractatur in præsentì Decisione. Recensentur eorumdem Regularium Privilegia antiqua; eaque declarantur, distinguendo tria Jura: Jus vetus Extravagantium, Jus novum Concilii Tri- dentini; & Jus novissimum Constitutionis Urbani Papæ VIII. Disputatur, An Regulares Confessarii habeant Jurisdictionem à Papa; vel ab Episcopis? Quomodo fit danda licentia Regularibus audiendi Confessiones Laicorum? Et quando jam data limitari, vel revocari possit? pluraque alia dubia proposita deciduntur, tum ex declarationibus Sacræ Congregationis Con- cilia; tum ex Constitutione Clementis Papæ X. Anni 1670.

SUMMARIUM.

- 1 Monachi quando caperint audire Confessiones Lai- corum, & quando Ordinari Mendicantium? 2 Privilegia cur data Regularibus circa Prædica- tionem, & Confessiones?

- 3 Privilegia Regularium in corpore Juris inserta, quæ sint? 4 Bonifacii VIII. privilegium pro Confessariis Regularibus. 5 Benedicti XI. aliud privilegium pro iisdem. 6 Clementis V. ordinatio pro Confessariis Regularibus. 7 Regulares Confessarii olim à suis Superioribus tantum examinabantur. 8 Examen, & approbatio Regularium Confessario- rum spectat ad Episcopos tantum ex Decreto Conc. Trid. 9 Urbanus VIII. cassat, & irritat omnia privilegia Regularium quo ad examen, & approbationem eorum pro Confessionibus audiendis. 10 Jurisdictionem pro absolvendis penitentibus secularibus an Regulares recipiant à Papa, vel ab Episcopis Diocesanis? 11 Glossæ in Sacros Canones auctoritas. 12 Jurisdictio pro Confessionibus ante Concil. Trid. debetur Regularibus ab Episcopis. 13 Privilegia omnia Regularium circa Confessiones Laicorum revocata. 14 Moralissimum assertiones non veræ circa Confessarios Regulares. 15 Auctoris opinio circa Jurisdictionem Regularium Confessariorum. 16 Appellare possunt Regulares idonei à denegata licentia audiendi Confessiones; Non etiam Presbyteri seculares. 17 Regularis Confessarii an sint approbandi tempore limitato? 18 An licentia eis data possit revocari? 19 Lis inter Episcopum Paduanum, & Regulares Confessarios Anno 1653. 20 Quæstio, & Responsa S. Congregationis pro Confessariis Regularibus Anno 1654. 21 Parochi possunt iterum examinari ab Episcopo quoad scientiam. 22 Revocare licentias Confessionum Regularibus quando liceat? 23 Licentia Confessionum data ad tempus, eo elapso expirat. 24 Vicarius Capitularis An possit examinare Regu- lares Confessarios? 25 Confessarii Regulares approbati ab Episcopo, an etiam à suis Superioribus sint approbandi? 26 Abbates, alivæ Superiores Regularium an possint audire Confessiones secularium sine licentia Episcopi? 27 Oracula vivæ vocis sunt omnia revocata. 28 Regulares Confessarii an tenentur interesse Con- gregationi Calium Conscientiæ? 29 Regulares Curati debent dare refedionem in die Congregationis Casuum. 30 Papa Confessarii non approbati, audientis Con- fessiones. 31 Regulares approbati ab Episcopo ad Confessiones secularium non possunt mitti à suis Superioribus ad audiendas illas Monialium sibi subdi- tarum. 32 Clementis X. Constitutio decisiva omnium dubio- rum circa licentias pro Confessariis Regularibus.

Quod attinet ad Jus antiquum, Hoc consistit in Privilegiis concessis per Summos Pontifices Ordinibus Religiosis tum Monasticis, tum Mendicantibus au- diendi confessiones Laicorum, & eos absolventi à pec- catis: siquidem statim post redditam pacem Ecclesiæ, sub Constantino Magno, florere cœperunt Regulares Ordines sanctitate, ac doctrina; quarum virtutum in- titulo iidem tum Canonici, tum Monachi sacramenta ministrandi, & confessiones Sacramentales audien- di munus susceperunt; ut testatur de eis S. Ambrosius, evectus ad Archiepiscopatum Mediolanensem Anno 374. sic scribens in c. Doctos. 16. q. 1. Doctos, ac pro- bos Monachos Presbyterii honore dedicatos, baptizare, predicare, penitentiam dare, debita miseris lavare, &c. moderata dispensatione comendamus. & S. Gregorius Magnus electus Papa Anno 590. Anglorum gentis conversionem insidiatur, Augustinum Monasterii sui Præ- fectum, Virum sanctissimum, cum alii quibusdam Mo- nachis sociis misit in Angliam, ut ex Eminentiss. Card. Baronio transcribit Spondanus Anno 596. n. 2. & ad favorem aliorum Monachorum, qui in Italia curam animarum gerebant, & excipiebant Laicorum confes- siones in c. Moderamine. ead. Causa. 16. quest. 1. idem S. Gregorius Papa ita rescriptit: Moderamine Apo- stolicæ auctoritatis decernimus, ut Monachi, si Presby- terii honore dedicati sunt, cum ligandi, absolvendi po- testate, decimarum, primitiarum, &c. portionem, non minus, quam cæteri Sacerdotes sibi vendicent. Et quoniam plures ab invidia agitati garriebant contra Confessarios Monachos (quorum duodecim Monasteria erecta fuerant à Sancto Benedicto usque de Anno 494. ut notat idem Spondanus ibid. n. 16.) Bonifacius Papa Quartus, qui Cathedram Divi Petri ascen- denter Anno 607. objurgat detractores in c. Sunt nonnulli. 16. q. 1. & commendat Monachos confessa- riorum munus exercentes; ita dicens: Sunt nonnul- li, nullis dogmate fulti, audacissimè quidem, zelo magis amaritudinis, quam directionis inflammati, asseren- tes Monachos, quia mundo mortui sunt, & Deo vi- vunt, sacerdotalis Officii penitus indigni: neque pen-itentiam, neque christianitatem largiri, neque absol- vere posse per Sacerdotalis Officii divinitus sibi injun- ctam potestatem: sed omnino labuntur; neque enim beatus BENEDICTUS, Monachorum præceptor Almissus, hujus rei aliquo modo fuit interdictus: sed eos secularium negotiorum edixit expertes fore tantummodo. Et paulò infra: Nos verò tantorum Patrum instituti exem- pli (quibus periculosissimum est refragari) credimus à Sacerdotibus Monachis ligandi, absolvendique Officium, Deo operante, dignè administrari, si eos dignè contige- rit hoc ministerio sublimari. En igitur, quòd per spa- tium undecim sæculorum, & ultra, ex sacrorum Cano- num testimonio, Monachi audiebant Confessiones Laicorum; eisque Sacramenta Ecclesiæ adminis- trabant; & idem munus ab ipsis assumptum fuisse in an- teditis transactis sæculis affirmant Canonistæ, quos citat, & sequitur Lezana in suis Consultationibus var- riis consult. 41. num. 47. Monachos autem imitati vult Regulares Mendicantes exorti in Ecclesia tam ante, quam post decimum sæculum, & præcipuè Car- melitæ, Eremitæ Sancti Augustini, Prædicatores à S. Dominico instituti; Minores à S. Francisco; & alii multi, quorum ortum recenset Barbosa de Jure Eccl. Univers. lib. 1. cap. 41. per tot. qui omnes vi- neam Domini ingressi, eam ingentibus laboribus col- luerunt doctrinis, ac exemplis, & præcipuè prædicatione Verbi Dei, & administratione Sacramenti Poenitentia.

Porro ob non leves controversias, quas Regu- lares, etsi coadjutores Cleri Sæcularis, cum eodem con- traxerant, potissimum in concionibus, & in au- diendis laicorum confessionibus, Summi Pontifices illos exemptos fecerunt à Jurisdictione Ordinariarum, ac pluribus Privilegiis eisdem tutati sunt; quorum aliqua in corpore juris, & intra Sacros Cano- nes



nes sunt inferta; alia collecta leguntur apud Cassarubium, Confessum, Mirandum, Joannem à Cruce, Peyrinum, Portelium, utrumque Rodriguez, ac Lezanam in Summa tom. 5. & tom. 6. in quibus commentaria facit super Privilegia, Maria Magna occupata Regularium Mendicantium, & referuntur novissime à P. Augustino à Virgine Maria Carmelita Strictioris observantiæ; qui omnia Privilegia Ordinum Mendicantium, & non mendicantium summam narrat usque ad Alexandrum VII. inclusivè, præter ea, quæ leguntur in duobus elaboratissimis, ac eruditissimis tomis Bullarii Cassinensis, & alia relata à R. P. D. Virginio Alviset Monacho Benedictino in suo Tractatu de Privilegiis Regularium impresso Venetis Anno 1661. Nec non à R. P. D. Ylone Pflavu Monacho Monasterii S. Galli in Collegario, sive Summario Privilegiorum Abbatibus, & Religiosis Monasteriorum exemptorum Ordinis Benedictini per Helvetiam ab Urbano VIII. concessorum, typis ejusdem Monasterii excusis Anno 1665.

Igitur plura Privilegia antiquitus concessa fuerunt per Summos Pontifices tam Monachis, quam Regularibus Ordinum Mendicantium audiendi confessiones Sæcularium, eosque absolvendi à peccatis, ut ostendunt prædicti P. Augustinus à Virgine Maria Verb. Confessio Sæcularium; P. D. Virginus Alviset scilicet 3. cap. 5. §. 1. & 2. & P. D. Ylon Pflavu part. 2. scilicet 1. & 2. in §. §. quinque; apud eoldem, & alios supracitatos Collectores à Studiofis videnda, usque ad Pontificatum Clementis VIII. qui Anno 1601. hoc Privilegium decoravit etiam PP. Capucinos, ut ad d. Annum notat Illustrissimus Episcopus Bataglinus in suis eruditissimis Annalibus Sacerdotii, & Imperii d. Anno 1601. num. 12. At mihi satis sit referre ea, quæ in corpore juris inferta leguntur, tamquam præcipua, ac Magistralia, & sunt: Utrum Bonificii Papæ VIII. de Anno 1294. in Extravag. Super Cathedrali. §. Statutum. De Sepulturis. Alter Benedicte Papæ XI. de Anno 1202. in Extravagant. Inter Cunctas. §. Ut autem. De Privilegiis. Tertium Clementis Papæ V. de Anno 1204. in Clement. Dudum. de Sepulturis. In primo Privilegio Bonificii Papæ VIII. in d. §. Statutum, ordinaverat, ut Superiores Regularium seligerent Confessarios suorum Ordinum, eosque examinarent; & quos idoneos reperirent ad confessiones laicorum audiendas, præsentarent Episcopis locorum, in quibus eas essent audiri; ad effectum, ut ab illis licentiam confessionum hujusmodi audiendarum reciperent; & si aliquis ex præsentatis rejiceretur ab Episcopis, eo emoto, loco ipsius alter præsentaretur: Si vero (sunt verba Bonificii VIII.) Idem Prelati præfatis Fratres ad Confessiones, ut præmittitur, audiendas electi hujusmodi exhibere licentiam recusaverint, Nos ex nunc ipsi, ut Confessiones sibi confiteri volentium liberè liciteque audire valeant, & eisdem Pœnitentiis imponere salutares, atque eisdem beneficium absolutio- nis imperiri gratiosè concedimus de plenitudine Apostolicæ potestatis. Hujusmodi executio Privilegii non paucas suscitavit controversias inter Episcopos, ac Superiores Regularium; siquidem, ut plurimum, ab his examinati, ac idonei iudicati rejiciebantur semel ac bis ab Episcopis; ipsique recte de facto audiendæ laicorum Confessiones, reclamantibus, ac resistibus Episcopis, atque Parochis. Ad hæc jurgia tolenda, cum esset defunctus Bonificius VIII. ejus Successor Benedictus Papa XI. (qui antea fuerat Frater, ac deinde Magister Generalis Ordinis Prædicatorum) alterum Privilegium Regularibus Confessariis concessit, ut absque alia licentia Episcoporum, laicorum Confessiones (dummodo à suis Superioribus idonei per examen essent iudicati) audirent: ita præcipiens in d. Extrav. Inter cunctas. §. Sed quia multoties de Privilegiis; videlicet: Electi igitur ab istodem Fratribus ad audiendas Confessiones, &

pœnitentiis injungendas, liberè auctoritate Apostolica absque licentia Diœcesanorum, & aliorum Prelatorum inferiorum, exemptorum, & non exemptorum, quibus subsunt, qui ad confitendum accedunt, audient eis peccata sua confiteri volentes. Hoc secundum Privilegium majores amaritudines produxit inter Regulares, atque Episcopos Diœcesanos; quapropter defuncto Benedicto XI. die mensis octo, ac dies viginti septem vixit in Pontificatu, Clemens V. qui ei successit, auditis Episcoporum indolentibus in Concilio Viennensi Anno 1304. prædictam Extravagantem Benedictinam cassavit, & annullavit; & Constitutionem Bonificii VIII. observari præcepit, ut legitur in Clem. Dudum. de Sepulturis. cujus hæc sunt verba: Dudum à Bonifacio Papa VIII. Prædecessore nostro infrascripto edita Decretali, Benedictus Papa XI. Prædecessor noster aliam illius revocatoriam promulgavit, quia, (ut probavit effectus) nedum pacis ab Audire ipsius sperate fructum non attulit, quinimodò discordiæ, pro qua sedanda processerat, fomentum non modicum ministravit. Nos eam omnino cassantes, aliam à præfato Bonifacio editam, sacro instante, & approbante Concilio innovamus; Subicientes tenorem illius, qui designatur esse talis. Et inserit ibidem antedictam Extravagantem: Super Cathedrali de Sepulturis. Idcirco de Jure antiquo Confessarii Regulares examinabantur à suis Superioribus, & cum ab istidem idonei judicarentur pro audiendis Confessionibus laicorum, præsentabantur Episcopis, ut de eorum licentia, gratia, & beneplacito, in Civitatibus, & Diœcesibus eorumdem, hujusmodi persone sine electis confessiones confiteri sibi volentium audirent; prout ordinaverat Bonificius VIII. Quod si Episcopi detestarentur absque causa, tunc istem Regulares ex confessione Apostolica de facto Confessiones audiebant. Hæc praxis servata est de Jure antiquo circa Confessarios Regulares usquequò supervenit

Jus Novum, nempe Concilium Tridentinum; in quo conquerentibus Episcopis, quod plures Regulares indochi ex nimia indulgentia, ac facilitate Superiorum eorumdem, sibi tamquam idonei præsentarentur pro habenda licentia audiendi Confessiones populorum, determinatum fuit, ut de cætero examen omnium Confessariorum, etiam Regularium, super eorum idoneitate spectaret ad Episcopos tantum; & ab istidem solummodo essent approbandi ad Confessiones audiendas; prout legitur in Sess. 23. de Reformatione. cap. 12. his verbis: Quamvis Presbyteri in sua Ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen Sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, posse Confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliam idoneam iudicetur; & approbationem, quæ gratis datur, obtineat. Privilegiis, & consuetudinibus quacumque, etiam immemorabilibus non obstantibus. Quo quidem Conciliarium Decreto ablati fuere Superioribus Regularium facultates, quam antea habebant, examinandi, & idoneos iudicandi suos Religiosos pro Confessionibus laicorum audiendis, & eadem commissa sunt Episcopis; cumque Concilio Tridentino nonnulli affererent, non esse per ipsum sufficienter derogatum privilegio antiquo contrarium disponentibus, Pius Papa Quartus Anno 1565. publicavit Bullam, incipiens. In principis Apostolorum, &c. impressam in calce Concilii Tridentini, revocatoriam Privilegiorum, exemptorum, immunitatum, facultatum, conservatoriarum, indultorum, confessionarium, Maris magni, & aliarum quarumcumque similium gratiarum, quibuscumque locis, & personis concessarum in his, in quibus contrariantur Decretis Sacri Concilii Tridentini; sique firmatum fuit, examen, & approbationem omnium Confessariorum, non solum Sæcularium, sed etiam Regularium, pro laicorum con-

confessionibus audiendis, spectare ad Episcopos. Verum quia post Concilium Tridentinum, nonnulli Ordines Religiosi recentiores obtinuerant aliqua Privilegia à Summis Pontificibus, relata à Prædicto P. Augustino à Virgine Maria d. Verb. Confessio Sæcularium à num. 66. & seq. quæ vel eos exemebant ab examine Episcoporum, vel concedebant, ut semel examinati, & approbati ab uno Episcopo, ab aliis Episcopis amplius examinari non possent, pro confessionibus suorum Diœcesanorum audiendis, emanavit

Jus Novissimum; nempe Constitutio Urbani Papæ Octavi, die 12. Septembris 1628. quæ incipit: Cum sciet accepimus, &c. & est in Bullario Romano Laurentii Cherubini tom. 4. Constit. 92. pag. 103. in qua indoluit ipse Pontifex, quod cum aliquibus Religiosis quorundam Ordinum, seu Congregationum à Sede Apostolica indultum fuerit, ut Sacramentales personarum Sæcularium Confessiones audire valeant, etiam ab Episcopis Diœcesanis ad id examinati, & approbati non fuerint; nec desint, qui temerè asseverent, hoc ipsum Privilegium ceteris quoque aliorum Ordinum Regularibus competere ex amplissimi Privilegiorum communicationibus, quas ab eadem Sede Apostolica obtinuerunt; & hinc saluberrimum Sacri Concilii Tridentini Decretum de super sanctum penitus evortatur: Ideo ipse Urbanus VIII. prædicta sua Constitutione, amplissimis, ac prægnantissimis clausulis, motu proprio, & ex certa Scientia, ac de Apostolica potestate plenitudine revocat, cassat, tollit, abrogat, & annullat omnia, & quæcumque Privilegia dicto Decreto Concilii Tridentini Sess. 23. de reformatione. cap. 12. contraria, omnibus, & singulis Religiosorum Ordinum quocumque, & quomodocumque concessa: etiam si talia essent, ut de iis specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret. Quapropter hæc nostris temporibus nullum est indultum, & nullum reperitur Privilegium, quo Monachi, vel alii Regulares possint audire Confessiones sæcularium, ac eos absolvere, absque approbatione Episcopi, ac prævio examine, si illos Episcopus examinare voluerit; ut testantur ex Scholasticis Card. de Lauræ de Sacram. Pœnitent. disp. 20. n. 153. ex Canonistis Fagnanus in cap. Quia propter. §. Illud autem. num. 7. de Electio. Pax Jordanus lib. 3. tit. 4. num. 119. ubi ponit dictam Constitut. Urb. Pignatellus tom. 7. consulti. 8. num. 29. & tom. 10. consulti. 93. num. 10. & ex Moralistis Lezana in Summa tom. 1. cap. 19. num. 2. & num. 6. quamvis sint Magistri, Doctores, & Gradui.

His instantibus, etsi dubitare amplius non liceat de obligatione Regularium subeundi examen coram Episcopis, si ab eis petant approbationem pro confessionibus audiendis, nihilominus circa formalitatem ejusdem examinis, ac approbationis ingens est numerus dubiorum, quæ tam ante, quam post Constitutionem Urbani VIII. exorta, ac decisa fuere vel à Moralistis, aliisque doctissimis Theologis, qui de hac materia scriperunt; vel ab Oraculis Sacram Congregationum Eminentissimarum Cardinalium, vel Tridentini Concilii Interpretum, vel negotiis Episcoporum, ac Regularium præpositorum; quare quæ præcipua sunt, & scitu necessaria, hic omni possibili brevitate recensere.

Primum autem dubium sit: Utrum Confessarii Regulares approbati ab Episcopis ad audiendas confessiones Diœcesanorum, pro iis absolvendis recipiant Jurisdictionem à Papa, vel ab ipsis Episcopis? Communis opinio est, quod eam habeant à Papa. Primo, quia ita docet Glossa in cap. 2. in Verb. Item tertio. de Penit. & remiss. in 6. Glossa autem opinio in re dubia prævalet opinionibus quorumcumque Doctorem, & eis anteponenda est. Fagnanus in cap. Cum vos. in fin. De offic. Ordin. & Calca-

nens in conf. 6. num. 5. Sed illa Glossa facta est ante Concilium Tridentinum, & tamquam antiqua, & antiquata non probat. Secundò, quia Concilium Tridentinum dedit Episcopis in d. cap. 13. sess. 23. jus examinandi, & declarandi idoneos Confessarios Regulares; quod de jure antiquo spectabat ad eorum Superiores; nihil autem disposuit circa Jurisdictionem necessariam ad absolvendos penitentes à peccatis, quam antiquitus Regulares habebant à Papa virtute plurimorum Privilegiorum. Ergo etiam post Concilium Tridentinum eam Regulares recipiunt à Papa. Hæc ratio patitur plures difficultates; nam Tridentinum voluit, omnes Confessarios, etiam Regulares, & iudicari idoneos, per examen ab Episcopis, & ab istidem approbati ad audiendas confessiones sæcularium. At sub nomine approbationis non solum venit actus intellectus, quo examinatus iudicatur idoneus, & habilis; sed etiam actus voluntatis, quo Episcopi vel concedere Jurisdictionem, & potestatem necessariam ad absolvendos penitentes, ut probatum est supra Decif. XV. num. 28. & Decif. XXXVII. cumque circa hæc approbationem Concilium Tridentinum nullam distinctionem fecerit circa Presbyteros Sæculares, & circa Presbyteros Regulares ab Episcopis examinatos; immò utroque comprehenderit sub eadem dispositione, ac formalitate concedendi facultatem pro confessionibus audiendis; dicendum videtur, quod sicut idem Concilium voluit, ut Episcopi darent Jurisdictionem pro absolvendis penitentibus, qui sua peccata confitentur Presbyteris Sæcularibus, quando eos idoneos repererint in examine, sic tradant Jurisdictionem Regularibus examinatis, & habilibus reperitis, siquidem una determinatio respiciens plura determinabilia, ea omnia pariformiter determinat. l. Nam hoc jure, & l. Lucius. ff. de Vulgar. Pupill. subst. Gratian. discept. foren. cap. 70. n. 39. & Barbosa Axiom. 69. num. 6. Ulterius non est absolventem verum, quod ante Concilium Tridentinum Confessarii Regulares, pro absolvendis sæcularibus à peccatis, habent Jurisdictionem à Papa; nam Bonificius VIII. in supra relata Extravag. Super Cathedrali. De Sepulturis. confirmata, & renovata à Clemente V. in Clem. Dudum eod. tit. ordinabat, quod Regulares Confessarii examinati, & idonei iudicati à suis Superioribus, præsentarentur Episcopis, ad hoc ut ab istidem Episcopis licentiam obtinerent audiendi confessiones, & absolvendi penitentes sæculares; si vero Episcopi absque causa dictam licentiam exhibere recularint; tunc ipse Papa eam concedere de plenitudine Apostolicæ potestatis declarabat. Si itaque Episcopi antiquitus dabant licentiam Regularibus electis per suos superiores ad Confessiones audiendas; ipsi Episcopi dabant istidem Jurisdictionem; dare enim licentiam idem est, ac dare potestatem, facultatem, & jus aliquid faciendi. Bart. in l. Alio herede. n. 7. ff. de Aliment. legat. Et praxis est in omnibus parentibus Curiarum Episcopatum, quæ dantur Regularibus, qui approbantur ad audiendas confessiones, ponere hæc verba: Tibi licentiam concedimus, & facultatem imperimus: itaut absque hesitatione hoc verbum Licentia pro confessionibus audiendis denotet Jurisdictionem pro absolvendis penitentibus. Barbosa in Summa Apostol. Decif. Verb. Licentia, num. 29. Nihilominus esto, quod ante Concilium Tridentinum iudicandi Jurisdictionem Confessariis Regularibus pro absolute peccatorum spectaret ad eorum Superiores, virtute suorum Privilegiorum; hodie prædicta omnia Privilegia, circa sæcularium confessiones audiendas sunt penitus cassata, revocata, & annullata non solum per Concilium Tridentinum dicitur sess. 23. cap. 15. & Bullam Pii Quarti in Principis Apostolorum, &c. Sed et magis per dictam Constitutionem Urbani VIII. Cum su-



ent accepimus. Itant hodie inutile sit circa hanc materiam allegare Privilegia. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 9. c. 2. num. 1. Lezana d. Consult. 40. n. 97. & 98. & iure quidem, nam non entium nullae sunt qualitates, nullae vires, nulla potentia. Surdus Decif. 216. num. 6. Thomafet. in Florib. leg. Regul. 202. Barbofa Axiom. 162. n. 1. & Gobatus in Quinario tract. 3. num. 510. His tamen non obstantibus omnes Theologi Moralifae afferunt, Regulares Confessarios habere iurisdictionem à Papa, non autem ab Episcopis pro audiendis faecularium confessionibus, & iisdem abfolvendis à peccatis. Rodriquez tom. 1. quest. 58. art. 1. Peyrinus tom. 1. in Confit. 2. Sixti IV. §. 11. n. 44. Molfesius in Summa part. 1. tract. 7. cap. 14. num. 64. Pellizarius in Manuali Regularum tom. 2. tract. 8. cap. 3. num. 0. Alvifet Scilicet. 4. dub. 26. num. 3. & num. 14. Xfion Pfawu part. 2. scilicet. 2. §. 2. Miranda tom. 1. quest. 45. art. 5. & 6. Bordonus Var. ref. part. 1. refol. 34. num. 7. & (aliter scilicet) Lezana in Summa tom. 1. cap. 19. sub n. 9. & d. Consult. 40. num. 66. & 67. Adhuc tamen infirma censetur horum Doctorem auctoritas; tum quia ipsi alia multa dicunt, quae declarata sunt aliena à veritate per Sacram Congregationem Concilii, ac Regularium responsa; pura quod Regularis confessarius semel approbatus ab uno Episcopo non est amplius examinandus, neque approbandus ab aliis Episcopis, in quorum Dioeceses ille tranfmearet. Ita plures DD. quos cumulat Diana Coordinatus tom. 7. tract. 1. refol. 83. 84. 85. 86. Quod Praelati Regulares possunt sine approbatione Ordinarii audire confessiones faecularium. Quod Sacerdotes simplices sine licentia Episcopi possunt abfolvere à peccatis venialibus, & à mortalibus in praeterita confessione oblitis. Idem Diana, haec afferentes referens, d. tom. 7. tract. 1. refol. 88. & similia. Tum etiam quia nullum aliud allegant fundamentum, nisi praedicta Privilegia casta, & revocata; unde fit locus regulae, quod Doctores loquentis sine fundamento non credatur. Cap. Ego solus. diff. 9. Jafon conf. 89. num. 22. lib. 3. Summus conf. 90. n. 35. Fagnanus in cap. Ne in iudicis à num. 403. & seqq. De Constitutionibus.

Cæterum pro resolutione praesentis dubii, & benigna interpretatione communis opinionis, quod Regulares Confessarii recipient iurisdictionem à Papa pro poenitentibus faecularibus abfolvendis; dicendum est; eandem quidem iurisdictionem ipsis concedi à Papa, non tamen immediate, sed mediante ministerio Episcoporum, ac de eorum manu, & concessione. Hoc tribus praecipuis rationibus demonstratur. Una est, quod approbare Sacerdotes faeculares ad Confessiones audiendas est actus gratiae, dependens è beneficio Episcopi, qui pro suo libito potest vel concedere, vel negare approbationem, & iurisdictionis concessionem; ut optime differit Eminentiff. Card. de Lauræa d. disp. 20. num. 180. & num. 198. E contra approbare Confessarios Regulares, quando idonei sunt, est actus iustitiae; ita ut abique eorum injuria non liceat Episcopis iisdem denegare approbationem, & petita facultatis audiendarum confessionum concessionem; ut concludenter demonstrant Suarez de Sacram. Poenit. disp. 28. scilicet. 5. num. 5. & num. 15. adeo ut si Regulares idonei, & habiles injurè repellantur per Episcopos, & eis denegatur petita licentia audiendi confessiones, possint appellare, & recursum facere ad Superiorem; ut in puncto dicit Nicolius Canon. Lucubrat. lib. 5. tit. 38. num. 11. Verum alii. Secunda est, quia Saeculares confitentes peccata sua Confessariis Regularibus in Paschate satisfaciunt praecipio Ecclesiae, de constituendis peccatis eo tempore proprio Sacerdoti, ut in c. Omnis utriusque sexus. de Poenit. & Remissionibus; ut abundè demonstrat Eminentiff. Card. de Lugo de Poenit. disp. 19. scilicet. 2. n. 27.

Eminentiff. Card. de Lauræa disp. 19. à num. 129. & seqq. & Fagnanus in cit. c. Omnis utriusque sexus num. 57. ea ratione, quia ipsi Confessarii Regulares sunt delegati Papae, (qui est supremus, & universalis Pastor omnium fidelium) & ab eodem recipienti qualitates proprii Sacerdotis, id est Parochi quo ad audiendas eorumdem Saecularium Confessiones tempore Paschae, & censuram recipere iurisdictionem ab ipso Papa; non immediate, sed mediante opera Episcoporum, quibus commissum est, eam elargiri, praevio examine super idoneitate, quatenus illud necessarium credant, & praevia eorum approbatione. Tertia verò ratio est hujuscemodi subdelegata per Episcopos Papalis iurisdictionis; quia Papa Gregorius XV. in sua Constitutione Insuperabili, &c. Anni 1622. (quae in Bullario Romano est la XVIII.) subiecit omnimode iurisdictioni, Visitationi, & correctioni Ducepali Episcopi Regulares quaecumque Sacramenta, & individualiter illud Poenitentiae administrantis, non alia de causa, nisi ex ea, quod sicut Episcopi sunt Sedis Apostolicæ Delegati in amplianda iurisdictione Papae Regularibus pro Saecularium personarum confessionibus audiendis; ita tamquam eisdem Apostolicæ Sedis Delegati possint ipsos Regulares corrigere, si forte errore aliquem commiserint in eisdem iurisdictionis exercitio, & administratione, procedendo contra ipsos etiam per censuras; ut novissime docet Pignatellus Jurisconsultus Romanus in suis doctissimis Consultationibus Canonice tom. 10. consult. 95. num. 25. quod antea quoque scripserunt Barbofa de Jure Eccles. Univ. lib. 1. c. 43. n. 310. & Lezana in d. consult. 40. n. 73. Quare abique scrupulo dici potest utrumque; id est, quod Regulares habeant iurisdictionem à Papa, & quod eam habeant ab Episcopis, ut admittit Lezana d. tom. 3. Verb. Confessarius Regularis n. 3. & Eminentiff. Card. de Lugo de Poenit. disp. 20. n. 214. in fine, & haec de primo dubio.

Secundum dubium est: An Episcopi possint approbare Regulares ad Confessiones audiendas tempore limitato, vel teneantur indefinitè, & abique limitatione temporis iisdem licentiam, & facultatem imperitari? Duplex responsum dandum est huic dubio: Unum de Jure; aliud de facto. In puncto Juris dicendum est, quod si Confessarii Regulares reperiantur absolute idonei in doctrina, prudentia, ac bonitate, sunt abique ulla temporis limitatione simpliciter approbandi, & admittendi ad Confessiones audiendas; sacus si non perfectè in studio totius Theologiae Moralifae, & Casuum conscientiae; ut declaravit Sacra Congregatio Cardinalium die 2. Julii 1587. cujus verba refert Lezana d. tom. 1. c. 19. num. 8. & docet Eminentiff. Card. de Lugo de Poenit. disp. 21. num. 60. & alii plures apud Dianam Coordinatum tom. 7. refol. 72. & refol. 74. n. 4. quae existunt in Diana inordinato, ac veteri part. 6. tract. 7. refol. 48. & scilicet. 7. refol. 61. De facto autem aliter est respondendum; quia invaluit praxis, & usus Urbis, & Orbis, in omnibus Episcopatibus, ut quantumcumque Confessarii, tam Saeculares, quam Regulares reperiantur idonei, & virtuosos, non admittantur ad excipiendas Laicorum confessiones, nisi ad Annum, ut testatur Nicolius Canon. Lucubrat. d. lib. 5. tit. 38. num. 9. & observatur in hac Curia Episcopali Patavina, in qua ego plurimis annis portavi hoc gravissimum onus examinandi, approbandi, & licentiam concedendi audiendi Confessiones Sacerdotibus Saecularibus, & Regularibus. Ratio est potest, quia, ad eos indefinitè approbandos, opus esset rigorosissimo examine super omnibus materiis Moralifae Scientiae, quae ostendunt eam Erogatam, ad hunc effectum per me composita, & collecta; nemo autem est, qui velit se subijcere tanto sui ipsius experimento; & idè Regulares, acquiescunt limitatis licentis, circa quas

quas ego semper cum magna discretione processi, ut in eorum renovatione Regulares gradu, ætate, prudentia, ac experientia conspicuos dimitterem cum nova prorogatione ad annum abique ulla cunctatione, aut examine; immò cum expressione magnæ estimationis eorumdem ob labores, quos sustinent solo motivo charitatis in Deum, ac proximum, in peccatoribus audiendis, & à culparum cæno liberandis.

Tertium dubium est, An Regulares semel examinati ab Episcopis, & approbati ad Confessiones Saecularium excipiendas possint suspendi ab audiendis Confessionibus, praevia revocatione patentium, & licentiarum eisdem concessarum? Pro responsione praemittito; quod Anno 1634. gubernante hunc Episcopatum Patavinum Illustriss. ac Reverendiss. gloriose memor. Georgio Cornelio, scientia, Pastoralis vigilantia, ac Jurisdictionis Episcopalis defensione Praelato ornatissimo; acerba lis exarsit inter ipsum, & universos Regularium Mendicantium Ordines hujus Civitatis, ob editum, quod ipse Antistes promulgaverat; quo monebat Religiosos Confessarios, habentes licentiam audiendi Laicos poenitentes, vel liberè, vel ad beneficium; ut eas intra Menslem in Cancellaria Episcopali exhiberent, volens, iustis de causis animum suum moventibus, illas moderari, praevio etiam examine, quatenus cognoverit expedire. Appellatur Regularis ab hoc edito ad Nuntiaturam Apostolicam Venetiarum, in qua emanavit Sententia, partibus auditis, quod Regulares obedirent Episcopo. Illi habuerunt recursum ad Sacram Congregationem Concilii Romæ; cui proposuerunt quatuor sequentia Quæstia, supplicantes pro decisione. Videlicet:

Primò: An facultas, seu approbatio audiendi Saecularium Personarum Confessiones, praevio examine, sit simpliciter, & absolute Regularibus concedenda? Secundò: An hujusmodi facultas, seu approbatio ad beneficium concessa poterit dicto Editò abique causa revocari?

Tertiò: An hujusmodi licentia, seu approbatio ad beneficium concessa poterit ab eodem Episcopo reduci ad Annum, seu ad aliud tempus limitatum? Quarto: An Regulares simpliciter in examine rigoroso semel approbati possint iterum examinari ab eodem Episcopo? Auditae fuerunt Procuratores, & Advocati utriusque partis, & bene perpenfae allegationes Juris hinc inde transmissae: postea emanarunt sequentes resolutiones.

Die 17. Januarii 1654. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilii Trident. interpretum; ad primum respondit: dandas esse declarationes antiquas tenoris sequentis. Die 8. Novemb. 1596. Sacra Congregatio Concilii, omnium Patrum Sententia mature perpenfa, censuit, Episcopum minime posse facultatem Regularibus audiendi saecularium Confessiones limitare; ideòque munus Episcopi ex Decreto Concilii c. 15. sess. 23. esse ipsos Regulares approbare, si idonei sint, sin minus reprobare; sed minime posse illis facultatem coarctare. In Salernitana 15. Augusti 1597. Dubitatum fuit, An Episcopus possit Regularibus restringere licentiam audiendi Confessiones Personarum Saecularium, ut ad certum tempus, vel ad ejus beneficium dumtaxat daret? Sacra Congregatio Concilii, post maturam discussionem, respondit: Non posse; sed praevio examine servandam esse Constitutionem S. Mem. S. Pii V., ut absolute admittantur, vel repellantur. Die 16. Januarii 1616. Sacra Congregatio Concilii declaravit, Episcopum debere de vigore S. Concilii Regulares ad Confessiones audiendas Personarum Saecularium approbare, vel reprobare.

Ad Secundum respondit: Facultatem, & approbationem ad beneficium concessas potuisse per Episcopum abique causa revocari.

De Sacramento Poenitentiae.

Ad Tertium respondit: Hujusmodi licentias, & approbationes ad beneficium concessas potuisse ab Episcopo ad tempus limitatum reduci.

Ad Quartum dilata fuit responsio ad aliam reductionem. Idè Die 7. Februarii 1654. Sacra Congregatio praedicta censuit, Regulares simpliciter in examine rigoroso semel approbatos, non posse iterum examinari ab eodem Episcopo, nisi nova superveniente causa.

Petrus Aloysius Cardinalis Curia Praefectus. Loco Sigilli.

Francisc. Paulucius S. CC. Secr.

Ex his declarationibus authenticis, quae fuerunt transmissae ad praefatum D. Episcopum Patavinum dicto Anno 1654. colligere potest quilibet Studiosus sequentes conclusiones. Primò, quod de rigore Juris Confessores Regulares praetendere possunt licentiam absolutam, & indefinitam audiendi Laicorum Confessiones, ut dictum est supra n. 17. & respondit Sacra Congregatio D. Episcopo Patavino ad Primum Quæsitum. Porro Regulares cedunt Juris suo, & in facto contenti sunt eam recipere ad Annum, ut jam fit in omnibus Episcopatibus; forsitan quia nullus est Regularis, quamvis doctus, & egregius, qui velit se exponere rigoroso examini. Secundò: quod Regularibus, habentibus licentiam praedictam ad beneficium, possunt Episcopi eam auferre, & revocare etiam abique causa, vel ad tempus limitatum reducere; ut dixit Sacra Congregatio ad Secundum, ac Tertium Quæsitum; & hoc idem antea scripserunt Tamburini. de Jure Abbatum tom. 2. disp. 6. q. 12. n. 9. & Barbofa de Jure Ecclesiae Univ. lib. 1. c. 43. n. 208. Undè remanet explosa opinio contraria Peyrini tom. 1. ad Confit. Sixti V. numer. 44. & assecratur ejus, quos refert Diana Coordinatus d. tom. 7. tract. 1. refol. 73. & 74. ubi bene advertit, licentias praedictas datas ad beneficium cessare eo ipso per mortem Episcopi conceditis; juxta text. ac DD. ibid. allegatos; secus si fuerint illimitatae simpliciter. Lezana d. tom. 1. c. 19. n. 10. Tertiò, quod si licentia pro confessionibus indefinitè sit data Regularibus praevio examine; non possunt ipsi amplius vocari ad novum examen; ut ad quartum respondit Sacra Congregatio D. Episcopo Patavino, sine nova superveniente causa concernente confessiones; quae quidem potest esse scientia deperdita, quia qui deserit libros, & studium, deserit à scientia. c. 11. qui igitur 23. diff. & c. Numquam. de Consecr. diff. 5. & idè etiam Parochi quamvis idonei iudicati, & approbati per examinatores Synodales, ob desertionem studii saepe reiciuntur in ignorantiam; cujus respectu potest Episcopus iterum eos examinare tam in visitatione, quam extra super doctrina, & literatura ex Decreto Sacrae Congregationis Concilii apud Barbofam Apoll. Decif. Collect. 339. n. 11. Quarto, quod hæc prohibitio novi examinis est in eo, qui approbatus; secus verò in ejus successore, qui indiscriminatim potest iterum vocare omnes Confessarios, etiam Regulares, licet illimitatas licentias habentes, & eos examinare; sique defecerit in eis scientia, reprobare. Miranda tom. 1. q. 45. art. 7. Lezana tom. 1. d. c. 19. n. 7. & ibi Bulla S. Pii V. incipien. Romani Pontifici providentia; Anni 1571. quam confirmavit etiam Urbanus VIII. alia Bulla incipien. Alia à Nobis. Anno 1629. relata à Barbofa de Jur. Eccl. Univ. d. lib. 1. c. 43. n. 210. & novissime à Pignatello tom. 4. consult. 174. num. 23. ac 24. ubi probat, eam habere vim legis universalis, extendi ad omnes Episcopos, & afficere quovis Regularis. Quintò, quod quamvis non possint Episcopi suspendere à Confessionibus Laicorum audiendis simul, & eodem tempore omnes Confessarios Regulares unius Conventus, seu Monasterii, in consulta Sacra Congregatione. Lezana in Summa tom. 5. in Marimagno Servitarum num. 55. & in suis Consultationibus variis diff. consult. 40. nova.



11. & 12. ubi Decretum Sac. Congr. Conc. diji 16. Januar. 1606. aliquos tamen Confessarios ex ipsis Regularibus, etiam indefinitè approbatos, possunt suspendere à Confessioneibus, & licentias antea datas revocare, si superveniat legitima causa, quæ talis esse censetur, si prædicti Regulares inhonestè viverent, vel aliquod scandalum darent, aut delictum committerent, ut respondit Sacra Congregatio Concilii in una Oriolen. 30. Augusti 1630. apud Barbofam d. lib. 1. cap. 43. num. 209. & Apostolic. Decif. col. 202. n. 20. nec non apud Lezanam d. consulti. 40. num. 44. idemque inter modernos notant Nicolaus Lucubrat. Canonie. d. lib. 5. tit. 38. sub n. 9. & Pignatellus d. tom. 4. consulti. 174. n. 21. advertentes ibidem, ex pluribus declarationibus S. Congregationis, non esse obligatum Episcopum edicere ipsis Regularibus causam, ob quam eorum aliquos suspenderet à Confessioneibus audiendis, sed factis esse eam Sacræ Congregationi aperire, ubi ab ea fuerit interpellatus. Sexto ex prædictis colligere studiosius poterit; quod approbatio pro Confessioneibus data Regularibus pro Episcopis ad tempus limitatum, puta ad Annum, vel ad sex menses, ut hodie est in usu; eo tempore elapso expirat sine alia revocatione; & in nova prorogatione iidem Regulares possunt noviter examinari, & si in Studio non profecerint, reprobari; ut pluries cogebat ego facere, dum super materiis, de quibus ipsi parvam, aut nullam scientiam habebant. (& quas in meo libro sub nomine examinatis, & ad tempus approbati annotabam) expirata approbatione iterum eosdem examinabam, & rudes reiteratò inveniebam; quare ulterius licentiam audiendi Confessiones eis denegebam; fretus doctrina Nicolii d. tit. 38. n. 9. Vers. Limita tertio. & declarationum S. Congregationis Concilii ibidem per eum allegatarum. Septimò tandem colligendum erit, quod Regulares Confessarii habentes licentiam illimitatam audiendi Confessiones ab Episcopo, eo mortuo, non possunt obligari à Vicario Capitulari, ut comparent ad novam licentiam recipendam; & multo minus ad subeundum novum examen. Marchettus in Praxi Vicarii Capituli. part. 2. tit. 17. num. 13. & 14. ubi minus bene asserit, id habere locum etiam circa licentias, quas dedisset Episcopus ad suum beneplacitum; nam, ut dictum est supra, ipse Diana Pater, & patrociniū Religiosorum, fateatur eas morte Episcopi expirare, part. 6. tract. 6. resol. 48. reposita in Coordinato d. tom. 7. tract. 1. resol. 74. Cæterum si tempus licentiarum prædictarum expirat Sede Episcopali vacante, tenentur Regulares comparere coram Vicario Capitulari pro nova approbatione, & quatenus ipse velit, novum examen subire. Nicolaus in Florentis. Verb. Vicarius Capitularis. num. 74. Ratio est manifestissima, quia cum non possint amplius Confessiones audire ex Bulla Urbani VIII. Alias à nobis, &c. 30. Januar. 1629. de qua Barbofa de Jur. Eccl. d. lib. 1. c. 43. num. 211. sunt tamquam novi approbandi, & examini subijcendi.

Quartum dubium circa præsentem materiam Confessiarum Regularium est: An ipsi ultra approbationem, & licentiam Episcopi, pro audiendis Secularium Personarum confessionibus, egeant approbatione, ac licentia sui Superioris Regularis? Pro resolutione distinguere oportet. An licet, An valide. Quod licet non possint audire Confessiones Secularium absque licentia, ac approbatione suorum Superiorum, nemo est, qui neget; nam facerent contra obedientiam, ad quam voto sunt adstricti erga Superiores suos; ut bene notat Lezana in Summa diu. tom. 1. cap. 19. num. 12. & tom. 3. Verb. Confessarius Regularis n. 2. ubi excipit casum mortis, si deficerent alii Sacerdotes: Non Plav in Collectar. p. 2. sect. 2. §. 2. pag. 149 & Pignatellus tom. 10. d. consulti 95. n. 13. ubi allegat Clementis VIII. Const. 115,

in qua §. 9. requirit, ut Confessarii Regulares eligendi per confraternitates in eorum Ecclesiis erectas, debeant esse approbati tum ab Episcopo, tum ab eorum Superiore. Sed in hoc puto standum esse usui Religionum, quarum major numerus non permittit suos Religiosos assumere licentiam pro confessionibus ab Episcopo, nisi prius per proprios Superiores examinentur, & approbentur. At quo ad validitatem absolutionis, si non fuerint à suis Superioribus approbati, alii DD. negant, alii affirmant. Pro negativa facit, quia ante Concilium Tridentinum pro validitate erat necessaria approbatio, & licentia Superiorum Regularium ex supracitata Clement. Dudum. de Sepultur. quæ in hac parte non fuit revocata ab eodem Concilio. Lezana d. tom. 3. Verb. Confessarius Regularis, num. 2. ubi ait, pro nullitate confessionis, & invaliditate absolutionis tenere Reverendissimum Theodorum Stratum in Instru. pro Carmelit. cap. 6. n. 2. cui ego addo Pignatellum tom. 10. consulti. 108. num. 2. sola tamen Moralitarum auctoritate motum. Pro affirmativa consideratur, quod Concilium Tridentinum d. sess. 23. cap. 15. talis approbationis non meminit, solumque approbationem ab Episcopo datam requirit; idè hæc affirmativam opinionem tamquam veritatem communiter amplectuntur Doctores, quos citat, & sequitur Diana part. 1. tract. 11. resol. 13. collocata in ejus Opere Coordinato tom. 4. tract. 3. resol. 26. & ex Scholasticis Eminentiss. Card. de Laurea de Pœnit. disp. 20. art. 3. §. 13. n. num. 214. usque in finem, ubi multis argumentis probat, quod Regularis approbatus ad Confessiones Secularium audiendas ab Episcopo, sine precedenti, aut subsequenti approbatione sui Superioris, agit quidem illicitè audiendo Confessiones, sed validè audit, & absolvit; quia in nulla Religione reperitur Constitutio Apostolica, quæ irritet Decretum Concilii Tridentini in d. sess. 23. cap. 15. idem docet Eminent. Cardin. de Logo de Pœnit. disp. 21. sect. 3. & Lezana d. tom. 3. Verb. Confessarius Regularis n. 2. ubi à negativa opinione recedit: sed subtiliter notat unum casum, in quo Confessio esset invalida, scilicet si Superior prohiberet subdito suo Regulari per Episcopum approbato, ne audiret Confessiones sub pena peccati mortalis, qua prohibicione contempta aliquis sciens, & ultro confiteretur cum illo; tunc enim, quia & penitens, & Confessarius Sacramentum Pœnitentiæ peragerent in peccato mortali, invalida esset absolutio.

Quintum dubium est, An Prelati Regulares, quales sunt Abbates, Guardiani, Provinciales, & Generales possint audire Confessiones Secularium absque approbatione Episcopi? Respondetur Negative. Quamvis enim legatur in Bullario Casinensi tom. 1. Constitut. 224. pag. 245. §. 246. quod Sixtus V. Anno 1585. 30. Novemb. viva vocis oraculo concesserit, quod Abbates Casinenses possint audire Confessiones Christi fidelium, prout faciunt alii Sacerdotes approbati ab Episcopo. Hujusmodi concessio hodie nihil valet; tum quia omnia Oracula viva vœcis revocata sunt à Gregorio XV. & ab Urbano VIII. ut advertit Lezana tom. 1. d. c. 19. n. 25. & tom. 4. Verb. Oracula vive vœcis, tum etiam quia & ipsi comprehenduntur in Tridentino d. c. 15. sess. 23. quia eorum dignitas, ac Prælati non venit lub nomine beneficii parochialis, ut perperam nisi sunt probare Valerius in different. utriusque Fori. Verb. Nullitas. diff. 5. num. 3. & alii apud Henricquez de Indulgent. cap. 22. quorum opinionem tamquam falsam impugnant idem Lezana d. tom. 1. cap. 19. num. 6. & Pignatellus d. tom. 10. consulti. 95. num. 11.

Sextum dubium est, Utrum Regulares Confessarii teneantur accedere ad Congregationem Casuum Conscientiæ, quam semel, vel bis in mense tenent alii Confessarii, & Parochi Seculares de mandato Episcopi? Respondetur cum distinctione: Si Regulares sunt Cura-

ti, & exercent curam animarum; tenentur intervenire in hac Congregatione, & ad eam cogi possunt ab Episcopo, ut expressè respondit S. Congregatio Episcopo Paduano die 14. Februarii 1604. etiam si sint ad nutum amovibiles. Ratio est, quia ipsi Regulares respectu curæ animarum subsunt immediatè jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, tum ex Concilio Tridentino sess. 25. de Regular. cap. 11. tum ex Bulla Gregorii XV. Inscrutabili, &c. Alii verò Regulares simplices Confessarii obligari non possunt ad intervencum hujus Congregationis, juxta multiplices declarationes Sacræ Congregationis Episcopi & Regular. diversis Episcopis datas; quas cumulat, ac recenset Pignatellus tom. 1. consulti. 417. nec non tom. 8. consulti. 18. & Nicolius in Florentis Verb. Casus Conscientiæ. num. 4. §. 5. ubi refert, eandem Sacram Congregationem respondisse Olivetanis Anno 1618. 25. Maji, Caros Regulares esse obligatos dare refectorem aliis Parochis, & Confessoribus, quando confertia casuum conscientiæ fit in cura Regularium, sicut faciunt Parochi Seculares, quando fit in sua, & ad eam dandum cogi posse ab Episcopo. Circa hæc refectorem sub regimine Eminentissimi, & Reverendissimi S. M. Gregorii Cardinalis Barbadii Episcopi mei Patavini emanarunt diversa provisionalia Decreta, ne excessus fieret in cibo, aut potu; cum Eminentia Sua tenacissima esset abstinentiæ, ac sobrietatis; ultimo ordinavit, ut nulla daretur refectio; sed quod expeditis Confessionibus populorum, quas eo die omnes Parochi, & Confessarii convenientes ad Congregationem Casuum tenebantur audire, & completa casuum conscientiæ discussione, dataque à singulis sua opinione in scriptis Vicario Forano, qui eas mihi tamquam Auditori Eminentiss. Sæ, ac deinde Vicario Generali de mense in mensem transmitteret, (i quibus coeperunt prodire hæc meæ Decisiones,) prædictis, inquam, omnibus peractis, uniuersisque jejunis reverteretur in domum suam. Talis jussio turbavit felicem exitum Congregationum; nimis enim durum videbatur Parochis, ac Confessariis laborare, & non manducare; idèque ut plurimum ipsi emendicabant excusationem vel doloris capitis, vel occupationis in cura, & non accedebant ad Congregationem. Quare ego fatuus esse dicebam, permittere honestam refectio-nem, & si quis in ea excederet in cibo, vel potu, illum rigorosè punire.

Septimum dubium est: Qua pena sit puniendus Regularis, qui absque approbatione, & licentia Episcopi, se pro Confessario gereret, Confessiones audiret personarum Secularium, & eas absolveret? Aliqui respondent, quod esset declarandus suspensus à divinis per cap. Placuit. de Pœnit. dist. 6. §. cap. Placuit. 9. quest. 2. Item excommunicatus tamquam usurpator Jurisdictionis spectantis ad Episcopum ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 11. de Ref. & ex Bulla Cæneæ Domini c. 17. Item puniendus tamquam falsarius pena l. Cornelie. De falsis, & per consequens infamis, ac irregularis. Cæterum vera opinio est, quod esset plenebus peena arbitraria ab Episcopo, ut demonstrat Menochius de Arbitr. Judic. casu 310. num. 4. & ult. Theaur. de Pœnit. Eccl. part. 2. Verb. Absolutio Sacramentalis. cap. 2. in fine. Novissimè Pignatellus tom. 6. consulti. 1. à num. 14. usque in finem; ubi advertit, quod si fabricasset sibi patentes falsas pro audiendis Confessionibus non effugeret poenam falsariorum d. l. Cornelie. De falsis, infamiam, & irregularitatem; super qua tamen posset Episcopus dispensare. cap. At si Clerici, §. de Adulteriis. De Judic. Gloffa in cap. Sa. Verb. damnatione. De Temp. Ordin. & Sayrus de Censur. lib. 7. c. 12. n. 3. Quod si id attentasset prætextu privilegiorum, plenebus esset ab Episcopo etiam poena Excommunicationis, ac Suspensionis à divinis, tum virtute Constitutionis Gregorii XV. Inscrutabili, &c.

tum vigore Bullæ Urbani VIII. Alias à Nobis, diei 30. Januarii 1629. quam ponit per extensum Barbofa de Jur. Eccl. d. lib. 1. c. 43. ubi n. 213. expressè conceditur, hujusmodi delinquentes coerceri, ac puniri posse ab Episcopo etiam Ecclesiasticis censuris. Idem docent Pignatellus tom. 1. consulti. 278. & Abbas Paucellus ejus Summator tom. 1. in tit. De Confessione in princip.

Octavum, & ultimum dubium: An Confessarii Regulares approbati ab Episcopo ad audiendas Confessiones Secularium possint deputari à suis Superioribus ad audiendas Confessiones Monialium isdem subiectarum? Respondetur Negative; quia opus est specificæ Episcopali approbatione pro Confessioneibus Monialium; aliàs Confessiones sunt invalidæ, tum ex declaratione Sacræ Congregationis Concilii ad dubia circa Bullam Inscrutabili, &c. Gregorii XV. dub. 9. §. 10. quam ponit etiam Lauretus de Franchis pag. 173. & 174. De Contraversis inter Episc. & Regular. & Joann. Anton. Novarius in Summa Bullarii part. 2. Commentar. 66. tum ex annexa moderna Constitutione Clementis Papæ Decimi incipiens. Super-na Magni Patris familias, &c. 20. Maji 1670. quæ in Bullario Romano est tom. 6. Conf. 7. & quam ponit Busenbaum in fine operis. Cuius quidem Constitutionis tenorem hic transcribere non me piget, ad commodum Confessiarum Regularium; siquidem dubia supra proposita magis elucidat, & alia omiffa, brevitate causa, declarat, & determinat; itaut ad dicta Moralitarum, & præcipue Dianæ Coordinatis tom. 7. tract. 1. a resol. 65. usque ad 86. non sit amplius recurrendum; sed ad diffinitionem hujus Clementinæ, quæ ita disponit, præcipit, ac dæcernit.

CLEMENS EPISCOPUS Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Superna magni Patris familias præordinatione, &c. (omiffis §. §. 1. 2. & 3. disponentibus de prædicatione Regularium.)

§. 4. Ad hæc, Religiosos ab Episcopo ad confessiones Secularium in sua Diocesi audiendas approbatos, non posse in alia Diocesi eas absque Episcopi Diocesani approbatione audire, quamvis penitentes subditi sint eius Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati. Et generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum Secularium confessiones audiendas negatquam conferri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subiectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione, atque approbatos pro audiendis confessionibus Monialium unius Monasterii minimè posse audire confessiones Monialium alterius Monasterii. Idemque Confessores extraordinarios semel deputatos, approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones, atque approbatos ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. Cæterum in Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi iuxta instituta Regularia vivitur, posse tam Prelatos Regulares, quam Confessores Regularium eorundem Monasteriorum, seu Collegiorum audire confessiones illorum Secularium, qui inibi sunt verè de familia, & continui commensales; non autem illorum, qui tantum ipsi adserunt. Illis autem Religiosis, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperiti fuerint, ab Episcopi generaliter quoque, & indistinctè absque aliqua limitatione temporis, eorumque locorum, aut generis personarum, in Diocesi propria, admittendos. Quo ad cæteros verò, qui non adeo idonei reperitur, si poterint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout est eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere; semel autem simpliciter approbatos posse in Diocesi Episcopi approbantis, quovis anni tempore, etiam Paschali, & quoruncumque etiam infirmorum confessiones audire, absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia. De qua tamen confessione teneri dictos



Religiosos eorandem infirmorum Parochum illicet cer- riorum reddere, & hoc posse illis ab Episcopo sub po- na suspensionis à facultate audiendi confessiones præci- pi; sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat sal- tem per scripturam apud ipsos infirmos relinquendam.

§. 5. Et eor, qui diu Religiosi simpliciter appro- batis Paschali tempore confessi fuerint, Constitutioni, que incipit Omnis utriusque sexus, quo ad confes- sionem dumtaxat satisfecisse censendus. Regulares verò ad hujusmodi confessiones audiendas, prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo, (secus autem si ab ejus Vicario, aut ab antecessoribus Episcopis) approbatus, non posse ab eodem, qui se approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licen- tias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, que ipsas confessiones concernat. De qua ta- men had necessarium est, ut in aliis conslet; nec eam teneri Episcopum ipsi Regularibus significare; sed Sedi Apostolicae dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulare.

§. 6. Porro si Regulares cum scandalo, aut aliis inhonestis vivant, vel aliquid delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur à Confes- sionibus suspendendi, (in quo ipsius Episcopi conscientiam onerant esse volumus,) cum præcipua Ministri Sacramenti Pœnitentie qualitas sit vite integritas, ac morum honestas, utique eam causam ad Confessionis ministerium pertinere, ac providè nihil obstrare, quo- minus ab eam posse Episcopus Regulares à seorsipso approbatos suspendere, aut repellere à Confessionibus audiendis. Atamen Confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventus Regularibus Confes- sionibus admitti ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica nullatenus posse. Ex facultatibus per Mare Magnum, alias Privilegia, Regularibus cuiuscunque Ordinis, Infirmis, aut Societatis etiam JESU concessis, factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis. Et per confirmationes dictorum Privilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post S. Concilium Trident. obtinuerant, nequaquam revo- casse Privilegia, præter ab eodem Concilio, aut deinde Apostolicis etiam Decretis sublata, atque extincta, si que habebant, absolvendi à casibus Episcopo reservatis.

§. 7. Et habentes facultatem absolvendi ab omni- bus casibus Sedi Apostolicae reservatis, non idèd à ca- sibus Episcopo reservatis posse absolovere. Posse autem Regularem Confessorem in ea Diocesi, in qua est ap- probatus, consequens: ex alia Diocesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus absolovere, nisi eisdem peccatis noverit, in fraudem reservationis ad alienam Diocesim pro ab- solutione obtinenda migrasse. Vigore supradictorum Pri- vilegiorum nequaquam licere Regularibus, etiam satis- facta parte, absolovere penitentes à censuris quo ad ex- ternum, & judiciale forum; & absolutos ab eis in foro Pœnitentiaali utique non censeri absolutos in exte- riori judicio, & contentioso. Quinimodò censuris Ec- clesiasticis irrevocatis, & denunciatis ab Episcopis cogi posse gerere se pro talibus, etiam à Regularibus fue- rint absoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apostolicis privilegiis coram Episcopo, ab eojudicentur, ipsa non suffragari casui, de quo agitur; si di- ctorum Privilegiorum verba obscura sint, & ambi- gua, non esse ad Metropolitanum provocandum; sed, cum ejus sit interpretari, cuius est condere, dictorum Privilegiorum interpretationem Sedi Apostolicae judi- cio, prout aliis Constitutione Prædecessoris Nostri sel. rec. Clem. IV. statutum fuit, esse requirendam.

§. 8. & §. 9. Præcipit ita esse judicandum à quocumque cum clausula sublata etc. & cum De- creto irritanti, etc. derogando amplissimis clausulis derogatoriis quibuscunque Privilegiis, aut Bullis con- trariis, etiam Bullæ Aureæ; que est illa Congre- gationis Casinensis solvantis annuatim Unciam unam

Auri Sedi Apostolicae pro manutentione suorum Pri- vilegiorum; ut in Bullar. Casinens. tom. 1. Constit. 59. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem An- no Incarnat. Dom. 1670. XI. Kalend. Junii, Pon- tificatus Nostri Anno primo.

Verùm de facultate competente Confessariis Re- gularibus pro absolute à Censuris, & casibus re- servatis, & pro dispensatione Irregularitatum, & commutatione Votorum agemus appositè infra in Decis. XLVI. per totam. Interim hoc unum, corollarij loco, ad favorem Regularium Confessorum adnotantes, quòd si possunt ubique audire Confes- siones in illa Diocesi, in qua ab Episcopo fuerunt approbati, licet in eorum mandatis sint hæc ver- ba: Ut in Ecclesia tui Ordinis confessiones utriusque sexus fidelium audire possis, & valeas, etc. siquidem talia verba stant demonstrativè, non taxati- vè; ut pluribus argumentis demonstrat Bordonus Var. resol. part. 1. resol. 36. num. 34. & in Miscella- neis suis Decis. 471.

DECISIO XXXIX.

ARGUMENTUM.

Differitur de Confessariis Religiosorum, & de eorum approbatione per Prælatos Regulares tandem faciendâ. Examinatur famosa Quæstio, An Re- ligiosus habens licentiam eligendi extraneum Con- fessarium, possit eligere simplicem Sacerdotem à nemine approbatum? Firmatur opinio negativa contra torrentem Moralistarum. Alia plura dubia proponuntur, ac resolvuntur, concernentia Con- fessarios Religiosorum existentium intra, & extra Monasterium; nec non Itinerantium, Novitiorum, Famulorum, Hospitum; ac tandem Ter- tiariorum.

SUMMARIUM.

1. Approbatio Episcopi non est necessaria pro Con- fessariis Religiosorum.
2. Prælati Regulares non audiunt Confessiones suorum subditorum; & cur?
3. Episcopi cur non audiant Confessiones Sacramen- tales?
4. Religiosi debent confiteri Confessariis, per suos Superiores deputatis, & non aliis, nisi in tri- bus casibus. Et qui sint?
5. Religiosus itinerans non possit confiteri Sacerdo- ti à nemine approbato? Opinio negativa, & affirmativa. Argumenta utriusque.
6. Episcopi confiteri tenentur Sacerdoti approbato; ac etiam Cardinale.
7. Jubilei vigore Religiosi eligentes Confessorem ex- traneum, approbatum eligunt ab Episcopo.
8. Prælati exterum Sacerdotem nisi approbatum eligere in Confessarium non possunt.
9. Approbatus debet esse Confessarius eligendus an- te Trid. Concil.
10. Glossa opinio prævalet opinionibus aliorum Docto- rum.
11. Idoneitas in Confessario pendet ab approbatione Superioris.
12. Jurisdictio data sine approbatione Confessarii non sufficit ad absolvendum.
13. Prælati Regulares confiteri non possunt nisi Sa- cerdoti approbato.
14. Socio Sacerdoti itinerans Religiosus debet confi- teri.
15. Jo. Cephalus Jureconsultus ubi sepultus.
16. Religiosus in aliena Ecclesia celebraturus potest ibi extero confiteri.
17. Itinerans ex sâla causa, & in fraudem, non eligit Confessarium.

18. Licentia eligendi Confessarios an possit prohiberi Religiosis?
19. Novitii, ac famuli Regularium, quibus confiteri possunt? & numer. 20.
21. Vestitio Novitium an constitatur approbato per Prælatum Regularem?
22. Seculares Præbiteri an possint à Prælatu Regula- ri deputari in Confessarios sui Conventus?
23. Hospites in Monasteriis an confiteri possint eorum Confessariis?
24. Tertiarium an possint confiteri Sacerdotibus per E- piscopum non approbati?

Post approbationem Confessorum Regularium pro audiendis Sæcularium confessionibus, de qua supra differimus, convenit, ut de eorundem Regularium approbatione agamus respectu excipien- dum Confessionum suorum Religiosorum, & alio- rum degentium in ipsorum Monasteriis, Claustris, seu Conventibus. Igitur scire oportet, quòd non est necessaria approbatio Episcopi pro audiendis Confes- sionibus Religiosorum commorantium, ac viventium quidem Concilium Tridentinum, in cit. sess. 23. de Re- form. cap. 15. subiecit approbationi Episcopali Re- gulares audituros Confessiones Sæcularium; non au- tem illas Religiosorum; hi enim quo ad Sacra- menta, & præcipuè quo ad Pœnitentiam, pende- nt à Jurisdictione propriorum Superiorum, qui gerunt vices Episcoporum, ac Parochorum erga Re- ligiosos sibi subditos; quorum propterea Confessiones Sacramentales audire, & eos à peccatis absolvere pos- sunt, auctoritate sibi à Summis Pontificibus concessa, vel per se ipsos, vel per alios Confessarios à se deputa- tos, ac approbatos; ut in puncto docent inter Canonis- tas Barbola de Jure Eccl. Univers. lib. 1. cap. 43. num. 204. & Fagnanus in cap. Omnis utriusque sexus, num. 62. ac inter Theologos Suarez de Pœnitent. disp. 28. sess. 1. num. 4. Bordonus Var. resol. part. 1. resol. 4. num. 2. & 3. nec non resol. 34. num. 3. ubi alios cum- ulat. Lezana in Summa tom. 1. cap. 18. n. 25. 26. & 27. Novissimè Eminentiss. Cardin. de Laurentia de Sacram. Pœnitent. disp. 19. à n. 56. & seq. quibus ad- do egregium Juristam Jacobum Pignatellum tom. 10. consulti. 30. num. 35. Quod adeo verum est, ut iidem Confessarii Regulares approbati ab Episcopo, non autem à Prælato suo, non possint audire Confessiones Religiosorum, neque eos absolvere. Lezana d. tom. 1. cap. 18. num. 26. & ibi Suarez tom. 4. de Reli- gios. lib. 2. cap. 16. num. ult. Jo. Ant. Novarius in Summa Bullar. part. 2. Commentar. 35. num. 3.

Quamvis autem Prælati Regulares, & Monasterio- rum Superiores possint auctoritate sua ordinaria Re- ligiosorum sibi subditorum confessiones audire Sacra- mentales, & eos à peccatis absolvere; nihilominus hoc munus Confessorium personaliter, ac per se ex- exercere non debent; attenta prohibitione iidem Su- periores facta per Summum Pontificem Clementem VIII. qui in suo Decreto casum reservandum pro Religiosis diei 26. Maji 1593. posito inter Consti- tutiones Urbani VIII. tom. 4. Bullar. Rom. Constitut. 26. pag. 43. (quod referunt etiam Quaranta in Summa Bullar. Verb. Casus reservati. Novarius di. part. 2. Commentar. 35. & ego quoque transcribam integrum in Decis. XLVI. occasione reservationis casuum Præla- tis Regularibus permittæ,) in eodem, inquam, De- creto §. 2. ita ait: Non liceat Superioribus Regularium Confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint; aut ipsimet subditi spontè, ac proprio motu id ab iis petierint. Ac subin- dè ita præcipit §. 3. Superiores in singulis domibus de- putent duos, tres, aut plures Confessarios, pro subdi- torum numero majori, aut minori; itaque sint docti, prudentes, ac charitate præditi; qui à non reservatis eos absolvant, & quibus etiam reservatorum absolutio

committatur, quando casus occurrerit, in quo eam de- bere committi, ipse in primis Confessarius judicaverit. Undè patet, quòd si subditi ex propria voluntate vel- lint confiteri peccata sua Prælati propriis, ac Super- ioribus, possunt ab eis audiri, ac absolvi: At ad hoc adigi, vel obligari non debent ex ea evidenti ratione, quam innuit Summus Pontifex in eodem Decreto; ne videantur Superiores frangere Sigillum Confessionis, & uti scientia habita in Sacramento, quando pro bono regimine Monasterii coguntur ali- quem subditum exterius punire, & hac de causa, quamvis præcis temporibus Sancti Antifites sedulam navarent operam in Confessionibus audiendis, ut de Sancto Ugone, ac de Divo Ambrosio, & aliis refert Pax Jordanus tom. 1. lib. 3. tit. 4. num. 3. nunc autem moderni Episcopi abstinent ab hoc munere, & ab eodem abstinuit Sanctus Carolus Borromæus, teste Geneense in Manuali Pastor. cap. 62. ut scilicet in fo- ro exteriori possint absque scrupulo animadvertere in subditos; licet enim Confessarius possit aliquando abs- que violatione Sigilli, uti scientia, quam habuit in- tra, & extra Sacramentum; ut probat Eminentiss. Cardin. de Lauræa de Pœnit. disp. 21. num. 295. num. 300. & num. 312. & infra docebinus Decis. XLIX. nihilominus non debet loqui de peccato sibi in Confessione detecto, etiam si illud sciverit extra illam; quotiescumque subest periculum scandali. E- minentiss. Cardin. Turrecremata in cap. Sacerdos. de Pœnitent. disp. 6. & Toletus in Summ. lib. 3. cap. 16. num. 10.

Igitur Religiosi tenentur confiteri sua peccata Con- fessariis approbatis, & deputatis per eorum Superio- res, ac Prælatos; neque alios possunt adire, nisi in tribus casibus. Primus est, quando de licentia suorum Superiorum iter agunt; nam ex Privilegiis Aposto- licis Religiosi itinerantes facultatem habent eligendi sibi in Confessarium quemlibet Sacerdotem; ut con- cessit Innocentius VII. Dominicanus; Sixtus IV. Franciscanus; quorum Privilegiorum verba ponit Confectius pag. 3. & fol. 78. Bordonus Var. resol. d. part. 1. resol. 34. num. 2. ac Tamburinus de Jure Abbatum tom. 2. disp. 6. quæst. 6. num. 7. Alter casus est, quando Superior alicujus Monasterii graciosè con- cedit sibi subdito, etsi permanenti in Monasterio, ut possit confiteri peccata sua etiam Confessario extrane- o; nam per hanc concessionem censetur illum in confessorium deputare, & jurisdictionem ad absolven- dum prædictum subditum impertiri, ut differit, & probat idem Bordonus d. part. 1. resol. 4. num. 3. & resol. 34. num. 19. Tertius casus est, quando Religiosi vadunt ad Pœnitentiaris Papæ. Lezana d. tom. 1. cap. 18. num. 26. & Bordonus d. resol. 34. num. 59. Sed de his Papæ Pœnitentiariis plura dicentur infra in Decis. XLVIII. Cæterum, quia circa utrumque casum Moralitæ promovent plura dubia, que potiora sunt veniunt hic breviter referenda. Itaque

Primum dubium est: An Religiosus itinerans, vel qui domi manet, sed habet licentiam à suo Superiore con- fiteri peccata cuicumque voluerit, possit eligere sibi in Confessarium simplicem Sacerdotem sine Regularium sine Sæcularium, à nullo Prælatu, vel Episcopo appro- batum. Ad hoc dubium respondet negativè Miranda in Manuali Prælat. Regul. tom. 2. quæst. 33. art. 6. ea ratione, quia de jure communi, & de consuetu- dine universali, quæ ante Concilium Tridentinum vige- bat, nullus Religiosus poterat confiteri peccata sua, nisi Sacerdoti approbato per ipsius Prælatum, vel Regularem, si ille Sacerdos Regularis erit; vel per Episcopum, si fuerat Sæcularis. Ergo multo minus poterit eligi in Confessarium Sacerdos simplex à ne- mine approbato post Concilium Tridentinum, à quo tanta energia requiritur idoneitas, & approbatio in audiendo Confessiones. Confirmatur ab exemplo E- piscoporum, qui ante ipsum Concilium Tridentinum poterant confiteri peccata sua cuilibet Sacerdoti etiam non